QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

DIE IOVIS VIGESIMA SECVNDA DECEMBRIS.

M. GABRIELE BIARD Doctore Medico Moderatore.

793

An imbecillitati ventriculi quæuis roborantia?

IMBECILLVS ventriculus cibos, quos ſuo excepit ſinu, aut prauè, aut ægrè, aut omninò non coquit; vt ſuccus is, quo corpus vniuerſum alitur, vel corrumpatur, vel tempore multo conficiatur, vel prorſus non atterantur cibi: quoduis horum contigerit, nutritionis ratio peruertitur: cibi verò in ventriculo atteruntúrne? an coquuntur calore, quem ille multum habet?

ATONIA adeſt, & imbecillitatis ſumma ſunt omnia, cùm cibi integri, nihil quicquam immutati egeruntur: is affectus lienteriáne rectè dicitur? difficilis coctionis nota eſt certiſſima frequens ructus acidus: an ille quandóque eſt caloris effectus? produnt coctionis vitium, quæ viridi, atróve colore redduntur vomitu. Atonia verò morbúſne eſt? an ſymptoma?

INTEMPERATVS ventriculus imbecilliùs coquit, vt eadem ùm ciborum concoctionem iuuent, & imbecillum ventriculum roborent, quæ emendant intemperiem imbecillitatis cauſam: illa multiplex; cuique ſuum & accommodatum eſt remedium, illúdque aduerſum, quo ipſa depellitur, vnáque amiſſæ ventriculi vires reuocantur. Difficiliùs euincitur imbecillitas, quæ à ſicca enaſcitur intemperie: eius verò, quæ à calida exoritur, non adeò tuta curatio. an etiam qui laxiore eſt ſubſtantia ventriculus imbecillior?

VENTRICVLI imbecillitas ſui abigendæ nullam præ ſe fert rationem: nudum eſt prorsùs, & inane nomen: vt qui eam curandam ſuſcipiunt, vmbram duntaxat, & imaginem curationis conſectentur. Nimirum, & Medicæ artis planè rudes, qui ventriculo imbecillis, diſcrimine & delectu nullo, vinum rubrum, auſterum, mala cydonia, punica, maſtichen, myrobalanos, cinnamomum, coriandri ſemen, caryophyllum comparare ſatagunt; quæ ſæpiùs adeò nocent, vt atoniam ventriculi promoueant.

FRIGIDIOREM ventriculum, eúmque imbecillum temperant & roborant, quæ excalfaciunt; vinum vetus, generoſum, meracius, aromatica omnia quauis arte parata: eundem æſtu languentem firmant & recreant, quæ refrigerare valent; lactuca, cichoracea omnia, ceraſa, cæterique fructus, quibus refrigerandi vis ineſt, ſerum lactis defæcatum, lac recens preſſum, ipſáque Neronis decocta: exſiccatum ſubleuant, quæ humectant; fotus, epithemata, balnea, elixarum carnium eſus, earundem iuſcula: humidiori conferunt ventriculo, quæ exſiccant & adſtringunt: ea ipſa laxiorem ventriculi conſiſtentiam reddunt compactiorem: qui intemperiem & laxitatem fouet humor, catharſi ei analoga, & accommodata exigendus: feruor ſi adfuerit, compeſcendus ſanguinis miſſione; vt remedia, quæ ventriculum roborare valent, definiat imbecillitatis cauſa.

Ergo imbecillitati ventriculi non quæuis roborantia.

Proponebat Lutetiæ IOANNES PIETRE Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIII.

238

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus le Conte.	*M. Guillelmus Guerin.*	*M. Franciſcus l'Eſpicier.*
M. Mathurinus Alton.	*M. Lancelotus de Frades.*	*M. Georgius Cornuti.*
M. Franciſcus Blondel.	*M. Iacobus M[illegible]*	*M. Guillelmus Duual* P. R.

